



# DIALOGUS I.

De

*Pio , & impio Sensu circa Religionem.*

TULLIUS.



**D**E Religione Augustorum ( hoc et I. enim nomine impiam superstitionem efferre interim liceat ) verba tecum facturus , Optime Publi , argumentum aggredior , quod volumini par foret justissimo , si , quæcunque in hanc rem spectare possent , vel solis quodammodo nominibus colligerem , Sed ut exitum sermonis nostri , quod est prudentum , initio prævideamus , Numis tuis ducibus , & quos aliunde accersere satis erit , opportuno , ut hæcenus , via compendio ibimus . Tuæ industriæ majora relinquo , si olim ipsemet in Mythologos , tum singillatim editos ,

A

tum

tum in Theſauris, *Græviano*, atque *Gronoviano* collectos, cum primis vero in evolvendi celeberrimi *Montſauconii* ſortem incidetis. Hunc apud ſummum Virum per complura ejusdem & ſplendidiffima Volumina, genus omne Deorum Dearumque, Ritus præterea univerſi, cultusque ſuperſtitioſi, ex elegantiffimis Tabulis æneis et additis Commentariis eruditiffimis, ac perpetuis hauries. Nunc Tironi colloquor, quem te ipſum conſtanter fateris. Coram hujusmodi porro in altum difficultatum aſſurgere, vel in longum latumque quæſtionum pugnantium effluere, minime congruit. In elementis tradendis qui eſt, ſuſcepti muneris oblivifcitur, quando ultra veſtibula pergit, & plus agit, quam, ut primum, eumque communem, ac facillimum rerum ſenſum aperiat.

II. PUBLIUS. Oro te vehementer, Honorande Tulli, atque obteſtor, ne, quod Eruditorum tam pauci facere dignantur, tu contra ſumma cum benevolentia ſuſcepisti, deſeras poſthac, mihi que tironi colloquens, vel a brevitate tua, vel a claritate difcedas. Parvulis lac, adultis cibus porrigitur. TULL. Lætor magnopere, idem te mecum perpetuo ſentire. Plane igitur, ac breviter, quantum feret argumenti prolixitas, in quo ſumus, progrediar. Sic namque tu rem facilius capies, ego, cui multum hic unguis arrodere per otium nec etiam vacat, hanc telam commodius abſolvam.

III. PUBL. Auſim ex te percontari, de Religione, quo nomine Cultum Dei accipimus, quid ſentias? Hodie namque, dum Rationi nimium ſcrutando tribuitur, prope eſt, ut multi Fidem ad opiniones quodammodo, quibus regitur mundus, condemnent. Parum eſt illis, modum, quo Deus rite colatur, libro cujuſlibet arbitrio relinquere, tanquam is pari cum Regibus jure non foret, ſui ſibi cultus ritum decernendi: aut limites intellectus creati uſque ad immenſitatem incircumſcripti Boni ſeſe porrigerent. Audent etiam, omnem Religionem, non ut obſequium, Deo altiffimo rerum Domino, Factori, Rectori ac conſervatori debitum, ſed ut merum humanæ petulantix, atque libidinis frænum communi conſenſu, politicaque ratione inductum, jactare.

IV. TULL. Dudum quidem his præcinerant *Stattius*, atque *Petronius*, quorum uterque ſe ſapere credidit, ita delirando:

Pri-

## Primus in orbe Deos fecit Timor.

Absit autem a nobis hæc summa fatuitas, ne quid amplius dicam, qua foedius nihil hominis rationem inquinaverit. Æterna Religionis est lex cum homine nata; quam fatearis, necesse est. Lumen Vultus Divini, signatum super quemlibet nostrum, in quo nemo non Deum ita videre compellitur, ut simul & sentiat, se vinculo naturæ perpetuo ad eum timendum, ac diligendum adstringi. Pecora, obsecro, omnia, & bestias terræ considera. Nonne matres, e quibus prodierant, agnoscunt præ omnibus, diligunt, iisque, cum nonnullo etiam reverentiæ metu, adhærent? Hoc porro nunquid, absque rationis adminiculo, sola faciunt natura magistra, ut, unde vitam, inde & vitæ sustentationem in prima educatione accipiant?

De primo jam homine tibi quid videtur, cui ratio mox in ortu suo naturæ arcana, vimque causarum retexit? Solusne ille Principium suum ignoraverit, atque neglexerit? Etiam si a Prometheo fictum eum somniaveris, negare salva ratione non poteris, eum Potentiam, Sapientiam, Bonitatem sui Auctoris admiratum esse, ac propterea eundem amavisse pariter, ac metuisse. Ergo Dei, quem rerum omnium commune Principium dicimus, reverentia, cultus, amor, timorque in homine cœperunt, dum cœperat & homo. Sensus & ratio præsentem ei Deum sistebant, cum videret, se jam esse, quod ante oculi ictum non erat; ambo pariter eidem cultum sui Factoris imperabant, quem & ipse mox exhiberet, ac retineret constanter, inque posteros omnes propagaret. Hæret hic etiamnum in cordibus hominum, ut non sit, quem naturæ lege conscientia sua non redarguat, si Deum negaverit.

PUBL. Ita sane, Tulli sapientissime, hanc rem ad principium suum quam simplicissime reducis, ut in omnem peccet rationem, qui se tibi opposuerit. A Numine, & ideo sub Numine sumus, Numinique colendo æterno obstringimur. Non igitur gentem ullam sub sole fuisse, quæ sibi Deum nullum persuaserit, ejusque colendi officium omne detrectaverit. In hoc vero generis humani deceptio est, impietas, atque delirium, quod suis cupiditatibus actum, legi Dei obsequi refugerit. Quoniam

porro malefactoribus peccatum statim præforibus adest, natura ipsa scelus reprehendente, adest, & metus ultoris, vel ipsis ethnicis testibus. Ut enim cecinit Satyricus:

Juvenal. Satyræ XIII.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi  
Displicet Auctori: prima hæc est ultio, quod se  
Judice nemo reus absolvitur.

Ovidius quoque Matrem Evandri filio exuli sic loquentem induxit:

Falstor, L. I.

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra  
Pectora pro facto spemque, metumque suo.

Epistol. 97.

Dialog. 17.

Nota est Senecæ paroemia: *Sceleris in scelere supplicium est.*  
Item Platonis dogma: *Conscientia ante peccatum est fraenum, post peccatum flagrum.*

VII.

Putem igitur, impios a veri Dei agnitione, in se a patribus deducta, dedita opera ideo descivisse, lumen suæ originis idololatriæ caligine operientes, ne, dum in cœtu fidelium persistenter, Lex Domini eisdem perpetuo ante oculos, quotidiana quasi prædicatione, per exempla piorum obversaretur. Oblivionem ergo Dei, quando ignorantiam nequirent, sibi, mundoque novis deorum commentis inducere conabantur, sperantes, hoc pacto peccati admissi stimulos retandi saltem, cum eximi non possint. Hoc porro maxime, cum ex hominibus talia numina confinxerint, quæ ab omni flagitiorum genere quotidianis hymnis, dum sacrificarent, commendare liceret. Plane præterea persuadeo mihi, unius veri, Dei religionem perpetuo sibi homines inter constituram fuisse si solis ille laudibus, & hostiis placatus, moribus legem non posuisset, & sceleribus ultor esse comminatus non fuisset.

VIII.

TULL. Religios admodum cogitas, & salubriter. Sed in hoc genere impietatis, in orbem inducens, non sola malitia cordis

dis, verum etiam cœcitas rationis intervenerat. Quapropter dudum Viri docti de tempore, quo inchoaverit, de occasione, per quam inducta sit, de modo, quo tam late proserpserit Idololatria, secum contendere cœperunt, minori quidem fructu, quam studio curiositatis. Quid enim horum omnium cognitione in melius proficimus? Christianæ pietatis est, injuriam Dei, generis nostri opprobrium, populorum interitum flere: contra vero in ejus Bonitate lætari, qui tantum ignorantix hujus tempus clementissime despiciens, misso Filio suo, hanc infernalem hydram confecit, ac teterrimam caliginem, universo jam prope in mundo, per lucem Evangelii dispulit; maxime præterea curare, ne infidelibus aliquando deteriores inveniamur. Hoc autem possis, cum velis, tamen si antea quæsitâ omnia ignores; quibus proinde immorari animi mei non est.

PUBL. Verbo saltem ut rem agas, peramanter te obsecro, ne IX.

TULL. Quandoquidem ita poscis, annuenti mihi sequentibus in Dialogis commodabis & aurem. Nam unde tam diversus eadem de re sit complurium sensus, uno numero tibi enarrare cum fructu tuo non licet. PUBL. Auscultabo tibi tam libenter, quam erudiri vehementer exopto.

## DIALOGUS II.

Variæ variorum opiniones de initio,  
atque progressu Idololatriæ

TULLIUS.

**I**Nitium idololatriæ quod spectat, esse ait celeberr. I.  
*Montsoconius*; qui, cum legerint: *Omnis quippe caro corrupe-* Antiqui-  
*rat viam suam super terram*; in cumulo omnium criminum an- tat. Tom.  
te diluvianorum citra dubium idololatriam generi humano, I.P.I. Dif-  
quis.